

et Jacobi apostolorum beatorum, praesentibus honorabilibus viris dominis Herthewico decano, Ot. scolastico, Th. de Maltitz, Conrado de Lypzk custode, Alberno de Schonow canonicis ecclesiae Wurzcinensis, Reynhardo de Maltitz, Hencelino de Pak et aliis quam pluribus fide dignis ad praemissa specialiter vocatis et rogatis.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit einem Bruchstück des Siegels (Hirschkopf mit Geweih) an einem Pergamentstreifen.

No. 463. 1352. 12. Mai.

B. Johann eignet dem Kloster zu Sitzenrode die in voriger Urkunde benannten Zinsen, deren Kaufpreis der Decan Heinrich bezahlt und die derselbe zu vier Jahrgedächtnissen seiner Eltern, seines Veters des Probsts Reinhard zu Budissin und seiner selbst bestimmt hat.

Nos Johannes dei gratia episcopus ecclesiae Missnensis recognoscimus tenore praesentium dilucideque protestamur, quod cum devotae et religiosae dominae . . priorissa totusque conventus sanctimonialium monasterii in Syezenrode ordinis sancti Benedicti iusto emptionis titulo rite et rationabiliter emissent apud strenuos Johannem et Henricum fratres de Brandeys nostros vasallos quatuor mansos sites in pago villae Zcoch in districtu Würzcinensi cum omnibus suis iuribus et utilitatibus, de quibus mansis solvitur una marca annui census, pro novem sexagenis parvorum grossorum, quas quidem sexagenas honorabilis vir dominus Henricus decanus ecclesiae nostrae Missnensis praedictae propter deum et ob remedium et salutem animae suae et animarum parentum suorum videlicet Godini patris sui, Künegundis matris suae et Reynhardi patris sui quondam praepositi ecclesiae Būdissinensis solvit pro dominabus et sanctimonialibus claustrum memorati, conditione tamen tali adiecta, quod . . priorissa et conventus sanctimonialium praenotati monasterii, quae sunt et quae pro tempore fuerint, anniversarium praedictorum parentum suorum nec non . . praepositi Budissinensis praedicti et etiam suum in quatuor temporibus anni, videlicet sexta feria ante dominicam Reminiscere, sexta feria ante ascensionem domini, sexta feria ante Michahelis et sexta feria ante nativitatem Christi simul et semel temporibus perpetue affuturis peragant, ad quod praedictae dominae . . priorissa et conventus praedicti monasterii se obligarunt. Et quia praedicta bona in Zcoch et census a nobis et a nostra ecclesia Missnensi praedicta in pheodo procedunt, nobis pro parte dictarum sanctimonialium in Syezenrode ac honorabilis viri domini Henrici decani praedicti fuit humiliter supplicatum, ut praefata bona et census cum suis iuribus, utilitatibus et usufructibus praefato monasterio sanctimonialium in Syezenrode appropriare annectere unire et incorporare dignaremur. Nos vero huiusmodi precibus iustis et instantivis favorabiliter inclinati praedicta bona in Zcoch cum omnibus suis iuribus, utilitatibus, libertatibus et usufructibus praedicto monasterio sanctimonialium in Syezenrode perpetue possidenda de expresso consensu . . capituli ecclesiae nostrae Missnensis praedictae appropriamus annectimus incorporamus et unimus. In quorum omnium testimonium et evidentiam plenioram praesentem litteram scribi fecimus et appensione sigilli nostri muniri. Datum et actum in castro nostro episcopali Stolpen anno domini M^o.CCC^{mo}. quinquagesimo secundo duodecima die mensis Maii.